



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 97. Colloquium a Magistro petitum ob Papæ infirmitatem dilatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

cius inde secedens, ad Bahiæ Sinum contendit, ibidemque haud procul a per-  
vetuitæ urbis Foiæ ruinis castra meta-  
tus est, ac post unius mensis moram e  
portu classem in altum detorsit, ac pau-  
cos infra dies Civitatem - veterem per-  
venit, indeque suorum Equitum quem-  
dam Romam ablegavit, qui a Papa col-  
loquii gratiam exoraret; prævenerat  
tamen illum Conchensis Episcopus, qui  
Papæ Adriani nomine Magistro signifi-  
cabat, quod eum tam mature adventu-  
rum haud credidisset, proin aliquamdiu  
quieti indulgeret, donec de alloquii  
copia misso Nuncio certior fieret.

§. XCVII.  
*Colloquium a Magistro petitum ob  
Papæ infirmitatem dilatum.*

Aversa hæc rerum vicissitudo qua-  
dantenns Magistri animum afflixit, *Bosius hist.*  
*Rhod. I. 2.*  
tempori tamen cedere coactus est. In-p. 20.  
terea temporis summus Pontifex Romæ  
die decima quinta Augusti in Eccle-  
sia ad S. Mariam Majorem, ubi assisten-  
tibus cunctis Cardinalibus rem divinam  
peregit, bellum adversus Gallos sole-  
nni ritu nunciari jussit; cum vero hæc  
solemnitas multum temporis absumeret,  
Papa haud parum inde fessus, dum  
ad Palatium redibat, febri correptus est.

Hæc

**Sacri. XVI.** Hæc adversa Pontificis valetudo præ-  
**A. C. 1523.** pediebat, quo minus Rhodiorum Magi-  
 ster ad alloquium, quod ardenter deli-  
 derabat, admitti poterat, evolutis tamen  
 quindecim diebus Adrianus eidem si-  
 gnificari jussit, ut Romam peteret.

### §. XCVIII.

#### *Magister Romæ ad alloquium Papæ admissus.*

**A**ccepto nuncio Magister quantocius  
 fese itineri accinxit, eumque cuncti  
 Equites sui comitabantur; cum vero  
 adhuc multum ab urbe abesset, eidem  
 Anna Morentiaca ejus Neptis, quæ tum  
 Romæ negotia sibi a Francisco Gallia-  
 rum Rege demandata curabat, obviam  
 cum splendido comitatu processit: Vix  
 autem Romam venerat Magister, cum  
 quivis eum insolitis etiam honoribus  
 cumulare certaret; nam occurrebat ei  
 Suessæ Dux Caroli V. Legatus, illum-  
 que ad ipsum quoque Pontificis Pala-  
 tium comitabatur, nec minus ipse sum-  
 mus Pontifex, quamvis ob morbi vim  
 viribus exhaustus esset, de sede sua as-  
 surgens intrantem exceptit, imo aliquot  
 passibus obviam procedens, tenerrimo  
 illum amplexu honoravit, mediumque  
 inter Cardinales considere jussit, ubi  
 multis in ejus laudem dictis pollicitus  
 est,